

pria domo occidi, vel violenter invadi & spoliari, quam in via publica. Ex eadem auct. constat, etiam Piratas publicos latronibus adnumerandos, quoad Immunitatis ademptionem.

### Nocturnus Depopulator agrorum.

193. Ille talis dicitur, qui de nocte agrorum alienorum segetes, vel vinearum fructus destruit, ibi se abscondendo, vel alia via eos subripiendo vel devastando, vel incendiando.

Quaritur I. An ad hoc ut talis immunitate privetur, requiratur, delictum ab ipso publicum fieri. *Re.* Negativè: sufficit enim, quomodocumque fiat, dummodo de illo constet, & pluries factum sit.

194. Quaritur II. An Diurnus depopulator etiam hac immunitate privetur. *Re.* Antiquo Jure non privari, saltem vi hujus casus excepti. Nam in illis Juribus sup. relatis, expressè ponitur particula specificans: *Nocturnus*. Verum, recentè Constitutione Gregorianà res est admodum dubia. Nam in illa est omisa illa restrictiva vox: *Nocturnus*: ergo videtur Pontifex voluisse etiam diurnum comprehendere. Et ita reverè sentiunt Farinac. 161. Ambrosinus, Scortia, Barbosa, Lezana & Bonacina. Et mihi probabilius videtur, quamvis Del bene putet non improbabiliè dici posse, quod sit subintelligenda, quia non videtur voluisse corrigere Gregorius Jus antiquum & commune. Quare tamen ratio me parum movet, cum ex ipsa Bulla constet, quod aliquos casus superaddiderit illis qui in Jure communi excepti erant. Illud addit idem auctor, quod talis excludatur in exceptione publici latronis: sed hoc non invenio apud alios, & reverè definitio publici latronis non comprehendit diurnum devastatorem agrorum, quia talis devastatio diurna non est violenta, sicut furtum diurnum non est hoc ipso violentum.

### Grassator Viarum.

195. Differt hoc crimen à Latrocinio publico quod hoc exercetur extra Vrbes, illud verò intra Vrbes. Est itaque viarum Grassator qui in urbe per insidias aggreditur, ut viarotes spoliaret, vulneret, vel occidat, & hanc differentiam assignat Thomas del Bene; nec aliam apud illos DD. inventio. Nam Farinacius n. 164. quam assignat, statim ipse revocat: postquam enim dixisset, Latronem publicum in eo differre à Grassatore, quod latro frequenter depradetur, & non sufficiat semel aut bis depradatum esse, po-

stea eodem numero fateatur, hoc ipsum de Grassatore dicendum esse. Et sane hoc omnes ceteri fateantur, & per ipsum verbum *Grassari*, indicatur.

196. Quaritur I. An hoc delictum etiam antiquo Jure fuerit exceptum. Afferunt plerique, eo quod in cap. *inter alia*. indicetur per illa verba: *Qui dum itinera frequentata, vel publicas vias obsidet aggressoribus insidiis*. Quidquid sit, Gregorius clarius expressit, quam vis uno contextu latronibus conjunxerit, à quibus partim absunt, ut habetur in lege 28. §. 10. ff. *de pœnis*. [Grassatores, qui prædæ causâ id faciunt, proximi latronibus habentur.] Quaritur II. An ad hoc ut non gaudeat immunitate, sufficeret, si quis esset aggressor in viis privatis & non frequentatis. Afferunt Innocentius & Hostiensis. Verum, insistendo textui alii omnes negant, & patet ex verbis relatis. Rationem reddunt, quia perniciosius Reipublice est, oblidere vias publicas, easque intutas reddere, cum hoc ad omnes se extendat, non item periculum viarum privatarum.

### Homicidium in Ecclesia vel Cœmeterio commissum.

197. Circa hoc Delictum exceptum, & illius intuitu, multa dubia à DD. moventur, ordine expedienda.

Præmittendum est. Quis dicatur & verè habendus sit Mutilator. *Re.* Non sufficere, quod quis vulnerando aliquod membrum debilitet, sed requiri, ut propriè abscindat aliquod membrum corporis, cuius officio corpus juvatur, ut sunt oculi, pedes, manus, lingua, mandibula: non item qui partem membri abscindit, cuius usus est solum partialis alicujus membri, non habentis alium usum quam in pluribus hujusmodi partibus. Unde non sufficeret amputasse digitum, vel excussisse dentem, de quo videndi sunt DD. cum agunt de Irregularitate: Ex quibus per partium enumerationem refert Del Bene, quod digitus, quantumvis pollex, vel index non sit propriè membrum, sicut nec dentes, ungues, testiculi, barba, capilli, digitorum articuli, nares, pars carnis, copia sanguinis vel articulae, id est cartilago illa extranea, quæ tuetur aurem & ornat faciem. Idem dicit de mamillis maris, cum non habeant actum proprium & particularem, sed potius videantur intervenire ad ornametum hominis: oculus autem, manus, pes, auris (non accepta pro sola cartilagine exteriori, aliquin sibi contradiceret) lingua, membrum virile, sunt propriè membra, quia habent peculiates actus, distinctos ab ali-

ab aliis membris, de mamillis fœminarum, imò & de lingua aliqui negant esse simpliciter membra, sed contrarium est verum.

198. Quaritur nunc I. An Homicidium & mutilatio in Ecclesia commissa, sint à Pontifice solum exempli causâ allata, adeoque quodcumque grave delictum in Ecclesia commissum eundem effectum habeat, ut scilicet à privilegio Immunitatis sit exceptum. Afferunt Abbas in cap. *fin. de Im. Eccl.* Clarus, Castro, Toloianus, Navarrus, Decianus, Farinacius de *C. r. cerib.* q. 27. n. 53. (qui tamen postea corripit, quando Bullam Greg. tractavit de Imm. Eccl. n. 208.) item Suarez c. 11. n. 6. Reginaldus, Tannerus n. 16. summarie referens absque ulla probatione, & plures alii. Contra quos

Dicendum est I. Nullum aliud delictum in Ecclesia commissum, præcisè ex hoc quod sit in Ecclesia commissum, si non est ex aliquo exceptis, privare Immunitate. Ita tenent alii RR. communitè omnes. Et quidem Barbosa in Collect. Bull. *V. Immunitatis* refert, quod S. Congregatio Immun. 18. Martii 1631. declaraverit, quod immunitate gaudeat furans in Ecclesia. Probatur evidenter ex eo, quod si Pontifex voluisset solum exempli causâ enumerare homicidium & mutilationem, dedisset inexculpabiliter anam graviter errandi Præpositis Ecclesie, cum facillimè dixisset, *delinquentes graviter in Ecclesia*. Restat solum, ut ad argumenta contraria respondeatur.

199. Fundamentum potissimum desumitur ex cap. *fin. de Immun. Ecclesi.* quod sic habet. [Nonnulli impunitatem furtorum homicidii per defensionem Ecclesie sperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui nisi per Ecclesiam ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerunt commissuri. Et infra. Cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publicè nuntiatis, tales non debere gaudere Immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.] Ex quo textu Adversarii argumentantur. Ubi est eadem ratio in lege adducta, debet esse eadem legis dispositio: sed ratio in hac lege adducta est, quod peccetur in Ecclesia, & ideo sint favore Ecclesie indigni peccantes in Ecclesia. Ergo cum hæc ratio locum habeat in omni delicto in Ecclesia commissio, debet esse eadem dispositio: unde est regula, quod ubicunque ratio legis vel canonis est generalior dicto, seu dispositio, tunc ad latitudinem rationis extenditur ipsa dispositio. text. in l. *regula. §. fin. de Juris C. facti ignorant.*

Respondent communitè, quod in penalis non sit faciendi extensio ex identitate rationis secundum opinionem magis communem.

Contra hoc replicat Fagnanus (qui tamen postea nobiscum sentit) hoc non esse verum, quando agitur de puniendis delictis, tunc enim materia dicitur favorabilis, & expediens Reipublice: imò toties fit extensio, quoties ratio est in lege expressa, etiam in penalibus.

Ad argumentum adversariorum nervosè respondet idem auctor in d. c. *fin. à n. 28.* hanc & similes controversias sublatas esse per Gregorianam Constitutionem, quæ declaratur, delinquentes nunquam extrahi posse ab Ecclesia nisi in casibus ibi exceptis: & inter hos recentet committentes homicidium, & mutilationem membri in ipsa Ecclesia, & nullam reddidit rationem, nec distinguit (sicut videri posset cap. *fin. distinguere*) an sit factum spe immunitatis necne, sed simpliciter & absolute casum illum excipit: imò illa Constitutio prohibet fieri extensionem ad casus in ea non expressos etiam ex identitate vel majoritate rationis, ut notavit idem auctor in c. *inter alia. n. 51. & 55.* & mirum est, hoc alios non advertisse.

200. Quodsi quaras, ex qua ratione Pontifex solum homicidium & mutilationem in Ecclesia perpetrata exceptit, respondent DD. quia hæc frequentius sunt quam alia. Cæpio hanc rationem in Homicidio, non item in mutilatione, nec video cur frequentius fiant quam furtis, vulnerationes, & alia sacrilegia. Quare, salvo aliorum iudicio pro mutilatione darem hanc rationem, quia est partialis & quidem tabilis privatio vite, adeoque partiale homicidium, quatenus integritatem hominis in parte aliqua principali tollit. Sed periculosum est assignare rationem, quæ non vel probet nimium, vel nimis parum.

201. Quaritur II. An Exceptio solum intelligenda sit pro illa Ecclesia, in qua commissum est delictum, adeoque si homicida inde fugeret in aliam Ecclesiam, ibi gauderet immunitate. Afferunt Sylvestr. *v. Immunitas* §. 3. asserens ita de consuetudine alicubi observari.

Dicendum tamen est II. Non reddi immunitatem etiam illi fugiat ad aliam Ecclesiam. Ita omnes DD. ceteri. Ratio est, quia illa restrictio non probatur ex ullo textu, & ulterius talis omnes Ecclesias læsit, quia Ecclesia est una per totum orbem. Sic etiam qui lædit unum Clericum, dicitur lædere totum Satum Clericalem.

202. Quaritur III. An ut quis ex homicidio privetur immunitate, debeat commississe delictum spe immunitatis. Afferunt post antiquiores Gutierrez, Tuschus, Azor. Citari etià solet Farinacius, qui tamen potius est dubius in appendice à n. 238. sed in quæst. 28. n. 14. expressè tenet negativam) Diana, qui allegat aliquam

decisionem, de qua tamen non constat authenticè.

Dicendum III. Attentè constitutione Gregor. caret hac immunitate, qui occidit nihil cogitans de immunitate. Ità ceteri DD. præferunt RR. post Abbatem, Covarr. Suarez, Laym. Bonacina, alii. Probatur imprimis, quia contraria sententia non observatur in praxi, maxime etiam ex eo capite, quia, ut etiam adversarii fatentur, semper est præsumptio, saltem Juris, quòd quis fecerit spe immunitatis, nisi contrarium probet, quòd fecerit contrarium, vix autem apparet, quomodo possit probare contrarium, cum intento lateat. Unde non desunt, qui putent esse præsumptionem Juris & de Jure, ac proinde non admittit probationem in contrarium. Verùm, quidquid sit de hoc, in Constitut. Gregor. nullo verbulo indicatur talis restrictio, sed potius indicatur contrarium, nempe quòd puniatur temeritas & irreverentia, dum dicit. *Committere non venientur.*

203. Major dubitatio esse possit, attentò cap. finali, h. t. sup. relato, ubi à principio cap. videtur adduci causa movens Pontificem, his verbis. [Nonnulli impunitatem suorum excelsium per defensionem Ecclesie obtinere sperantes, qui nisi per Ecclesiam crederent se defendendi, nullatenus fuerint commissuri.] Nihilominus allegati DD. censent, nec hoc jure inspecto aliud dicendum esse. Quia postea statim assertur ratio generalis, comprehendens etiam eum, qui non occidit spe immunitatis, nempe quia peccat in Ecclesiam, & committit in legem. Addo, non esse novum, quòd lex sæpe feratur universalis, ex causa que non est universalis. sic alibi declaravi, ex lege irritante clandestina matrimonia universaliter, ex causa frequentium illusio-nium, quòd multi suas uxores clam ductas repudiabant, quòd matrimonium non posset probari, quæ ratio non est universalis, & tamen irritatio est universalis.

P. Palao utitur probatione fabrili, sed inefficaci. Dicit, quòd in sententia contraria redderet dispositio inutilis & impossibilis. Nam qui occideret in Ecclesia, sciens se non gravissimum immunitate, si hac spe occideret, hoc ipso non posset hac spe fretus occidere, ergo jam gauderet immunitate, dum supponit se non gaudere. Hæc probatio est nulla. Nam dispositio esset utilis etià respectu illorum, qui legem scirent, adhuc enim haberent spem, se probaturos, quòd non fecerint spe immunitatis: alioquin, si hanc spem non haberent, cur mærent in Ecclesia tanquam in asylo? Deinde haberet maximam utilitatem respectu illorum, qui solum in genere scirent, Ecclesiam esse asyllum, & hoc freti occiderent.

204. Quaritur IV. An gaudeat immunitate, qui graviter, sed absque necesse aut mutila-

tionem vulnerat, cum magna sanguinis effusione. Negant Tufchus, Marius, & quidam alii. Alii qui restringunt ad certum casum, nempe, quo reus jam apprehensus à Ministro trahit cum post se usque intra Ecclesiam, & ibi, ut se ab illo liberet, cum graviter fauciat. Ità Gambacurta, & Curtellius.

Dicendum IV. Et Affirmandum est, omnes hujusmodi gaudere, dummodo mors nec intra nec extra Ecclesiam ex tali vulnere sequatur. Ità ceteri omnes. Addo ego, nisi fallor ex eorundem mente: quòd etiam mors sequeretur ex vulnere per accidens, v. g. quia ligatura neglecta est, dummodo vulnus secundum se & ex natura sua (super quo solent Medici & Chirurgi examinari) non sit lethale: nam talis non puniatur ut homicida. Idem est, si ex vulnere evenisset malum, ut brachium vel pes &c. debuerit postea amputari à chirurgo. Nam talis vulnerans non rectè diceretur mutilasse. Conclusio probatur argumento communi, quia talis vulneratio non legitur inter crimina excepta.

205. Objicit Curtellius pro suo singulari casu. Reus tunc jam est in possessione Ministri: ergo sicuti in omnium sententia non gaudet immunitate ille, qui à ministro extra Ecclesiam captus ducitur ad carcerem per cæmeterium vel Ecclesiam, ità nec ille. Respondetur pariter, quia in casu præsentis factelles non ducit illum ad Ecclesiam, sed potius ab ipso capto trahitur invitus & ducitur.

Dixi: dummodo mors non sequatur saltem extra Ecclesiam. Nam talis adhuc diceretur occidisse intra Ecclesiam, ubi vulnus lethale infixit, sicut e contra ille dicitur extra Ecclesiam occidisse, adeoque gaudet immunitate, qui vulneravit lethaliter extra Ecclesiam, etiam si vulneratus deinde se recipiens in Ecclesiam ibi moriatur.

206. Quaritur V. An fugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis sub capitali pena & reatu læsæ Majestatis, privetur immunitate. Affirmat Covarr. & parum abest Desianus.

Dicendum V. Et negativè respondendum, tum quia sic declaravit sacra Episc. congregatio apud Dianam, tum quia non est crimen læsæ Majestatis in Personam Principis, quòd requiritur, ut infra dicitur.

207. Quaritur VI. An existens in Ecclesia, indeque jaculans in existentem extra Ecclesiam atque occidens, privetur immunitate. Et contra, si existens extra Ecclesiam jaculando occidat existentem intra Ecclesiam. Communior sententia tenet in utroque casu privari immunitate. In priorè quidem, quia in Ecclesia est posita causa necessaria, & non amplius impedibilis mortis seu lethalis vulneris, quia globus ejectus revocari non potest. In secundo verò,

do verò, quia in delictis attenditur potius consummatio quam inchoatio. Et hæc sententia ob gravissimum AA. non solum Juristarum, sed etiam Theologorum, est utique summè probabilis extrinsecè, & securè practicabilis. Nihilominus

Dico VI. Theoricè loquendo mihi probabiliorè videri sententiam, quæ quidem in secundo casu cum relata affirmativa consentit, sed dissentit in primo casu. Ità Novarius in Summa Bull. tit. de Immunit. n. 51. Bonacina disp. 3. q. 7. p. 4. n. 8. de Immunit. Diana. p. 1. tr. 1. resol. 9. Riccius. p. 5. collect. 1792. Peregrin. Fagund. quosrefert & sequitur Del Bene.

Probatur I. Ex fundamento quo adversarii probant secundam partem. Quia in delictis potius attenditur consummatio, quam positio causæ quantumvis necessariè ex natura rei. Ex quo principio docent Theologi communiter, quòd talis non incurrit censuram latam in occidentem in Ecclesia: ergo ob paritatem dicendum quoque est, quòd non privetur privilegio, quo privantur occidentes in Ecclesia.

Probatur II. Quia cum versetur in odiosis, attendendus est communis modus loquendi: atque communis modus loquendi non est, quo talis dicatur occidisse in Ecclesia, sed potius dicitur occidisse extra Ecclesiam, nempe in illo loco, ubi vulnus lethale infixum est. Et quidem quòd talis rectè dicitur occidisse extra Ecclesiam v. g. in platea, ubi globo trajectus est, nec adversarii possunt inficiari, nam ipsi dicunt in secundo casu, talem occidere in Ecclesia, quia nempe ibi vulnus infligitur ab existente extra Ecclesiam. Hinc

208. Confirmatur hæc probatio. Nemo sanus solet dicere, quòd qui alium jaculando occidit, occidit illum in duobus locis distantibus, hoc enim in communi modo loquendi sonaret replicationem vel occidentis, vel occisi. Atque secundum adversarios semper aliquis occideret in locis distantibus, nempe in loco ubi stat explodens bombardam, & in loco ubi stat vulneratus. Hinc, si quis stans in Ecclesia S. Petri ejaculando vulneraret existentem in Ecclesia S. Pauli, dicens esset, in utraque occidit Ecclesia: & per consequens si diversæ pœnæ essent statuta contra occidentes in illis Ecclesiis, ambas illas pœnas talis incurreret, quòd est contra omnium sensum: ergo à primo ad ultimum non est verum, quòd occidens in priorè casu occideret in Ecclesia, cum etiam secundum adversarios rectè dicitur occidisse extra Ecclesiam.

209. Illud tamen concedendum est contraria sententia, quòd in primo casu, ob injuriam Ecclesie illatam per explosionem lethiferam, possit explodens ab Ecclesiastico Iudice

puniti, etiam si mors non esset secuta, sicut posset ob alia delicta in Ecclesia commissa.

210. Quaritur VII. An privetur immunitate, qui mandat aliquid occidi in Ecclesia, cum effectu. Affirmant multi, quos sequitur Barbosa, & Layman c. 3. n. 6. qui cum, quibusdam aliis etiam hoc extendit ad eum, qui mandatum dat intra Ecclesiam, ut quis occidatur extra Ecclesiam, quæ tamen extensio merito plerisque aliis displicet.

Dicendum VII. Et respondendum negativè, cum longè communiorè sententia. Probatur. Mandans aliquid fieri non rectè dicitur ipse fecisse, nisi quando hoc jura expresse iungunt; unde quando leges pœnales volunt etiam comprehendere mandantem, semper exprimitur, alioquin mandans illam pœnam non incurrit, quæ constituta est in facientem. Atqui in Constitutione Gregoriana nulla fit mentio mandantis. Ergo non est comprehensus sicut ipse occisor. Neque refert quòd solear dici: quòd quis per alium facit, per seipsum fecisse censetur. Hoc enim solum verum est in foro conscientie, in quo talis rectè dicitur homicida) & quando Jis exprimit, ac fingit. Unde nec Censura incurritur à Mandante aliquid fieri, cui infligitur censura, nisi exprimat.

211. Objici possit. Mandans aliquid extrahi ab Ecclesia contra Bullam Pontificis, incurrit excommunicationem hujus Bullæ, quamvis non fiat expressa mentio mandantis, ergo idem dicendum erit de mandante occisionem in Ecclesia, ut amittat privilegium. De antecedente esse controversiam infra tangendam. Nunc transeat antecedens, negatur paritas. Quia excommunicatio illa fertur in omnes, qui aliquid agunt contra Immunitatem in Bulla concessam. Atqui talis est mandans: ergo satis exprimitur.

212. Quaritur VIII. An amittat privilegium, qui vi vel dolo aliquid extrahit, & extrahit occidit extra Ecclesiam, & deinde fugit ad Ecclesiam. Affirmat Farinacius in append. c. 16. n. 232. & Azor 2. p. lib. 9. q. 9. c. 14. versu. 15.

Dicendum VIII. Talem non amittere privilegium. Ità communiter alii. Et sequitur ex præcedentibus à fortiori. Nam talis non dat in Ecclesia causam necessariam, sicut, qui explodit in Ecclesia. Ergo cum dixerimus hunc non amittere, multo minus alter amittet. Imò plures, qui contrarium nobiscum docent de expulso in Ecclesia, tamen tenent non idem esse dicendum de extrahente vi, vel dolo. Ità Palaus, n. 18.

213. Quaritur IX. Si quis commisit aliud delictum non exceptum, deinde occidit in Ecclesia, & fugit ad ecclesiam, an amittat privilegium

vilegium etiam respectu delicti non excepti, ut etiam ratione illius extrahi possit. Distingunt Tulechus, Decianus, & plures alii. Si talis est punitus propter commissum Homicidium in Ecclesia, tunc ajunt eum non amittere (& de hoc non est dubium) si autem nondum est punitus, tunc ajunt amittere. Nihilominus

Dicendum est IX. Probabilis talem non amittere privilegium respectu aliorum delictorum gaudentium hoc privilegio. Ita Covarruvias, aliis relatis. 2. *Vari. c. 20. n. 11. r. 24.* Gutierrez, Del Bene, Palau. Probatur. Ex eo quod homicidium in Ecclesia conjungatur cum aliis delictis, non hoc ipso habet vim auferendi privilegium aliis delictis concessum, nisi hæc vis illi aliquo Jure tribuatur: argui nullum Jus adducitur ab adversariis: sed nec ulla ratio, quæ non sit mera petitio principii: qualis est, quod Ecclesia non sit satisfactum. Nam Ecclesia non fit alia satisfactio, quam ut intuitu homicidii facti extrahatur. Ergo donec ratione hujus extrahatur, potius Ecclesiæ favor exigit, ut intuitu alterius delicti, cui Ecclesia favet, non extrahatur. Quod si extractus sit ratione homicidii, & ratione hujus punitus, ratione alterius delicti non poterit puniri, nisi prius Ecclesiæ restitatur; & deinde procedatur, sicut procedendum esset, si homicidium in Ecclesia non fuisset commissum.

### Homicidium proditorie factum.

214. **H**omicida proditorius ille dicitur, qui occidit aliquem ex improviso, ex insidijs, aut nihil tale prudenter suspicantem, seu qui non potuit prævidere, aut rationabiliter sibi cavere à tali homicidio, eo quod non præcesserit gravis offensa, vel non constiterit de rancore animi: v. g. qui alium à tergo aggreditur, vel socium mentis, aut itineris, absque ulla prævia rixa, vel contentione. Exemplum habetur in S. Scriptura 3. Regum. 2. ubi legitur, quod Sapientissimus Salomon non peperit Joab quantumvis ad altare confugerit, propter homicidium proditorium quo occidit Abner, simulando amplexum amicum, sicut & Amasam, dum illum exosculans dicebat: *Salve mi frater: & occidit.*

Quod autem requiratur ad proditorium Homicidium, quod occisor simulaverit se amicum, hoc est, non inimicum, & sic omnem timorem, & cautelam studium amovet ab occiso, ne sibi caveret, dicitur declarasse Clemens VIII. per Breve ad Archiepiscopum Panormitanum 6. febr. 1597.

215. Hinc infertur, quod, etsi privetur

immunitate is, qui procedente hujusmodi subdola simulatione sibi fecit occasionem occidendi veneno, vel etiam dormientem, si tamen nulla hujusmodi simulatio præcessit, & inimicus nactus occasione veneno occidat, aut dormientem aggrediarur, non privabitur immunitate. Et ita fertur declarasse S. Congregatio Episc. 2. Aug. 1619. & consentiunt Junista cum Bartolo, agente, Proditorum esse eum, qui amicum occidit, quod tamen semper intelligendum est, saltem negativè, h. e. non inimicum, quia non est necesse, ut proficitur amicitiam philosophicè sumptam, cujus effectus est communicatio omnium bonorum: hoc enim non requiritur mihi certum est, etsi alii non advertant. & sic fortè conciliari possunt DD. Multò minus privatur immunitate mater occidens fetum, vel infantem, quia tunc nulla simulatio præcessit, cum dolus non fiat circa caretentem usu rationis.

216. **Q**uaritur I. An dicatur proditorius homicida, qui aliquem occidit post factam promissionem de non occidendo, seu illa fuerit formalis, seu virtualis. v. g. quia fuit reverè reconciliatus inimicus, sed postea redeunte rancore occidit, non manifestando rancorem. Negant aliqui, quos sequitur Diana p. 4. r. 1. ref. 33. Mihi tamen videtur cum aliis affirmandum, saltem si alter non potuit ullo modo rationabiliter suspicari, hujusmodi rancorem rediturum. Nam hoc casu in effectu evadit promissio & reconciliatio dolosa, per quam omnem sollicitudinem ab altero absterfam videt.

217. **Q**uaritur II. An privetur immunitate, qui proditorie occidit infidelem. Negant Ambrosius, Diana, Bonacina. Rectius tamen alii affirmant, quia non excipitur tale homicidium: nam Infidelis etiam est noster proximus, quem jubemur diligere, & non perdere: esto non communicet in fide aut Sacramentis. Alioquin etiam heretici tandem excipiendi essent, quia etiam nobiscum in fide non consentiunt.

218. **Q**uaritur III. An privetur immunitate, qui occidit in Duello. Affirmat cum quibusdam aliis Barbosa in Jure Eccl. hb. 2. c. 3. n. 101. quod planè mirum est: quia nimis clarum est, quod talis non occidat proditorie & per insidias, hoc est incautum. Ratio etiam leviss est. Ex eo enim quod talis ob duellum excommunicatur, & privetur sepulchra, non licet inferre, privari immunitate, ut in pluribus aliis omnibus fatendum est.

219. **Q**uaritur IV. An privetur occidens de industria, sed non per insidias. Multi affirmant, quos refert Del Bene: fundantur in Jure Antiquo, c. 1. de homicidio, quod tamen capitulum si rectè ponderetur, potius contrarium probat:

probat: requirit enim copulativè: per industriam, & per insidias. Quasi diceret: per industriam insidiosam. Et quamvis sufficeret dictum esse: per insidias: tamen claritatis gratià, etiam additur: per industriam. Verum, quidquid sit de Jure antiquo, rectè monet Tulechus & alii, standum esse Constitutioni Gregorianæ, quæ proditorionem expresse requirit, quæque, nemine dissentiente, sine insidijs non fit. Est ita in facti contingentia fertur judicatum esse in Supremo Consilio Castellæ.

220. **Q**uaritur V. An privetur immunitate, qui ex insidijs & proditorie vulneravit, animo occidendi, sed mors non est secuta. Affirmant (quod miror) valde multi, hoc unico fundamento nixi, quod in veteri lege Exodi 21. legatur: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, habebit locum ad quem fugere possit: si autem per industriam, &c. ab altero est evellendus.* Negandū est cum cæteris, quia illæ leges Cereemoniales non amplius urgent, (quidquid sit de intellectu illius loci) sed Constitutio Greg. requiritur actualis occisio. Adhuc magis miror, quod Cuetellius & quidam alii ausi sint privare immunitate eum, qui viro nobili alapam insidiat, vel suffigat. eo quod magis dolere viro nobili talis injuria, quam ipsa mors. Sed hæc sunt explodenda potius quam refundenda.

### Assassinium.

221. **D**e Assassinis scribunt Historici & Interpretes in cap. 1. de Homicidio in 6. fuisse Infideles in Regno Syria; qui facti esse putantur, quosunque Regis sui inimicos, ipso jubente, interfecerunt. Hodie, & ad materiam præsentem, per translationem vocabuli illi dicuntur Assassini, qui (sive sint fideles sive infideles) hominem Christianum (seu baptizatum per insidias occidunt, pretio ad hoc conducti, & in Italia vocari solent: *Bravi.* Et hos privati Immunitate Ecclesiæ constat ex verbis Constitutionis Gregor. De his tamen plura dubia moventur.

222. **Q**uaritur I. An res promissa debeat esse notabilis quantitas seu pretii. Affirmant Farinacius, Diana, Ambrosius & alii. Negant alii. Videntur posse conciliari. Si enim promissa res sit reverè motivum principaliter inducens ad occidendum, tunc qualiscunque etiam exigui valoris fuerit, sufficit, ut privetur occidens immunitate. Ratio est, quia parvitas pretii non minuit, sed potius augeat delictum, quia arguit majorem malitiam & inhumanitatem in occidente, ut lumine naturæ notum

est: sicut in simili de Simonia docetur. Si verò non fuit Motivum principale, eo quod etiam absque eo ex alio motivo constituitur occidere, tunc sive fuerit pretium magnum sive parvum, non constituit assassinium, adeoque nec privatur immunitate. Itaque eum pretium exiguum præsumatur plerumque non fuisse principale motivum, & contra magnum præsumatur fuisse, ideo secundum hæc præsumptiones videntur Auctores sententiæ negativæ intelligendi, alioquin absque fundamento loquuntur.

223. **Q**uaritur II. An necesse sit, actu exhibitam esse rem promissam. Affirmant non patet, qui tamen loquuntur, quando promissio fuit valde generalis. Absolutè tamen non. Si Promissio etiam generalis fuit pretio æstimabilis, v. g. si quis promitteret scribere hæredem, quia spem æstimabilem generavit, sufficere ad privationem immunitatis. Ratio est, quia jam invenitur tota malitia, quam Ecclesiæ exæctatur, & punire intendit privatione immunitatis: Imò major est malitia, quam si actu consecutus esset rem certam.

224. Hinc infero I. Cum communi contra quosdam, quod sufficeret promissio dandi v. g. filiam in uxorem. Nam talis promissio est æstimabilis, quatenus inducit obligationem adhibendi omnem conatum & diligentiam persuadendi filiam conjugium, esto non possit illam cogere.

Infero II. Non esse Assassinium, qui spe aliquid etsi non promissum consequendi alium occidit. Non probo cum aliis, quod in tali casu non intervenit obligatio. Nam etiam quando promissio præcedit, reverè nulla intervenit obligatio, quia non valet contractus. Ratio ergo est, quia ad Assassinium requiritur, ut mandans ita promittat, ut licet non inducat actualem obligationem in mandatarium, imò nec in se, attamen inducit in se obligationem conditionatam, nempe si alter occidat, tenebitur solvere promissum: & hac obligatione movetur assassinus ad occidendum.

225. **Q**uaritur III. An privetur immunitate, qui conductus occidit infidelem. Affirmat Decianus, Bonacina, & quidam alii. Sed Negativa sententia auctoritate prævaluit, & fundatur in cap. 1. de Homicidio in 6. ubi expresse dicitur: *si quis occiderit fidelem.* Unde licet Constitutio Greg. hoc non expresserit, censetur tamen assassinium accepisse in sensu illius capituli. Et quidem. Corneus asserit, ex hoc capite evasisse quendam Prelatum, qui fuerat accusatus de Assassinatus crimine, sed non fuit in libello & processu deductum, quod fuerit Christianus. Cæterum, in nostris partibus ubi Infideles non reperiuntur, (nisi forte alicubi Judæi) semper præsumptio

sumptio esset, occisum fuisse Christianum, nisi contrarium probaretur.

226. **Quæritur IV.** An privetur, qui pecuniâ conductus occidit suam inimicum, qui fuerit simul inimicus mandantis. *ꝛ.* Ex communi DD. negativè, quia, ut ex supra dictis constat, non occidit incautum, hoc est, qui non potuisset sibi à suo inimico (si quidem scivit esse inimicum, aut scire potuit) cavere. Hinc idem dicendum, si occideret præsentem mandante inimico, etiamsi non esset inimicus occidentis, dummodo occisus potuerit illius præsentia habere aliquam notitiam.

227. **Quæritur V.** An privetur occidens aliquem, cum fuerit solum conductus ad vulnerandum. Non movet hoc dubium AA. sed solum quæritur, an privetur, qui solum vulnerat ex mandato, de quo certum est, quod non, quia talis non venit nomine Assassini. *ꝛ.* Ad dubium negativè, quia occisio non provenit ex mandato, & intentione mandantis: nisi mandatum esset vulnus, quod sine propinquo periculo necis infligi non potest, tunc enim in consequentiam videtur mandare, quidquid secutum sit ex tali vulnere.

228. **Quæritur VI.** An sint rei assassinii, adeoque privati immunitate, Mandantes, etiamsi mors non sequatur. *ꝛ.* Affirmativè c. 1. de homicid. in 6. [Statuimus, ut quicumque Princeps, Prælati, seu quævis alia Ecclesiastica seu secularis persona, quempiam Christianorum per prædictos assassines interfecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc festinan non sequatur.]

229. **Quæritur VII.** An & recipientes, defendentes, occultantes. *ꝛ.* De his subiungitur in eod. capitulo. *ant. eos receperit, vel defendit, seu occultaverit.* Requiritur tamen DD. quod per receptionem, defensionem, vel occultationem debeat verè esse causa necis. Unde si post transactam necem recipientur &c. non veniant nomine Reorum Assassini. Colligitur responsio huius & præcedentis questionis ex penis, quæ infliguntur in d. cap. de Excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat sententiam ipso facto. Quæ pena non infliguntur nisi Assassini reus.

### Hæresis.

230. **D**ubitatum est, an non solum ille privetur Immunitate, qui manifestè hæresis reus est, sed etiam ille, qui ex circumstantiis urgentibus talis presumitur, aut suspectus est. Ratio dubitandi est, tum quia in Constit. Gregor. requiritur, ut sit hæresis reus. Tum

quia in aliis delictis non sufficit esse suspectum. Ob quæ fundamenta Gambacurta negativam tenet. Nihilominus communis est DD. Theorica, si non scripto Jure, saltem consuetudine firmata, talem non gaudere immunitate: imò posse à Iudice seculari extrahi, non quidem ad hunc finem, ut ab ipso iudicetur & de causa cognoscatur, (cum hæresis non sit mixta, sed solius Ecclesiastici foci) sed ut eum tradat Iudici Ecclesiastico iudicandum.

Hinc inferunt, eum qui hæretico favores & auxilia specialia exhibendo se suspectum facit, non quidem amittere immunitatem ratione auxiliorum aut favoris præstiti, sed ratione suspicionis de hæresi.

### Crimen læsæ Majestatis humanæ in ipsam Principis Personam.

231. **Quæritur I.** Quandonam censeatur delictum commissum in ipsam Principis Personam, prout requirit Constitutio Gregoriana. Ad hoc valde specificanter respondet Del Bene, id fieri, exercendo actionem aliquam positivam in damnum & offensam Principis, v. g. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur, adde etiam, calumniando Principem, prout faciunt hæretici in Imperio, vocando Imperatorem Idololatram, quod egregius Canonista publicè exprobravit Superintendenti Ratisbonensi. Idem dicitur de consilientibus, auxiliantibus, vel favorem præstantibus. Secus dicendum de illo, qui ex postfacto ratum habet, quod ab alio actum est contra Principem, (dummodo hæc ratihabito non de novo lædat Principem,) & qui se merè negativè habet, v. g. non impediendo actionem, cum posset, non revelando, quod scit perpetrandum, nam isti non influunt positivè: quare etiam committant fortè crimen læsæ Majestatis, & ideo sint obnoxii aliis penis huic crimini constitutis, immunitate tamen probabiliter non priventur, quamvis non minus probabilis sit opinio Farinacii, & Marti Ital. talem carcere immunitate.

232. **Quæritur II.** An, & qualiter debeat offendens esse subditus Principis offensæ. *ꝛ.* Non sufficere, quod sit subditus ratione delicti in territorio commissi, sed quod sit subditus vel ratione originis, vel ratione domicili. Quinam autem censeantur Principes Majestatem habentes, hoc est nullum Superiorem agnoscentes,

res, videndum est apud Scriptores Juris publici. Responso probatur ex Clement. P. 3. *toratus. de appell.* ubi declarat Pontifex, Regem Sicilia non commisisse crimen læsæ Majestatis in Imperatorem etiam ex eo capite, quod nec originem traxerit, nec stabile domicilium habuerit in Imperio.

Quod diximus, non sufficere, esse subditum ratione delicti in territorio commissi, est contra Curtellium, quia hoc fundamento nititur. In Criminalibus fortius & potentius est forum delicti, quam originis aut domicili; unde supra egimus, de remittendo reo ad Iudicem fori delicti. Respondetur, per delictum fieri subditum, sed non supponi subditum antecedenter. Unde licet machinator extraneus si in territorio Principis machinetur, fiat ratione delicti subditus, & ideo possit puniri propter tale delictum, ad hoc enim requiretur, ut antecedenter ad delictum & machinationem fuisset subditus. Hinc fortè Curtellio concedi posset, quod si quis jam antecedenter per aliud delictum subditus effectus esset, deinde lædendo Principem esset reus Majestatis læsæ. Sed nec hoc ego affirmaverim: nam crimen læsæ Majest. videtur inde denominari, quod subditus agat specialiter contra reverentiam suo Principi debitam: hæc autem debitum videtur fundari in origine & domicilio, nec contrahi per delictum: certè talem obligationem specialis reverentiæ habeat non agnoscunt forenses, quando delinquant.

233. **Quæritur III.** Quale esset crimen læsæ Majestatis, si quis Consiliarium Principis, vel Magistratum Supremi Principis lateri assistentem occideret. Communior est sententia, non esse commissum in Personam Principis, adeoque non privare immunitate: sicut in omnium sententia non esset occisio uxoris, filii, fratris. Non est tamen improbabilis opinio Curtelli & Gambacurte, affirmantium tale esse crimen læsæ Majestatis in Personam Principis. Probatur à paritate, nam communis Doctrina est, quod qui occideret Cardinalem, committeret crimen læsæ Majestatis in Personam Pontificis, quia Cardinalis facit unum corpus seu Consistorium cum Pontifice: ergo idem dici potest de tribunali Summi Principis secularis, cum quo, & non solus Rempublicam gubernat.

234. Hi ipsi AA. contra communiorem docent, quod esset crimen commissum in Personam Principis, quod offendit Statum Principis in odium & despectum Principis, item qui falsam pecuniam, vel contra edictum Principis eudit, bonam tondet; item tractat de alio Principe substituendo viventi: item qui se Principem vult facere; item qui spoliat nuntios Principis, ut

arcana inde intelligat, & similia, quæ tamen alii dicunt non esse delicta in Personam Principis, sed in Statum Principis. Ità nuper judicatum est, eum qui fugit ad Monasterium ob deprehensam spoliationem armamentarii sibi commissi, non commisisse crimen læsæ Majestatis in Personam Principis, etiamsi illam spoliationem direxisset eò, ut munio cederet hosti, quamvis reverà ille reus hoc non intenderit, sed solum furatus est, ut lautius vivere posset. Et hæc circa delicta specificè excepta in Constitutione Gregoriana. Nunc videndum est, an possit fieri extensio ad alia quædam delicta ob suam atrocitatem.

### §. VII.

#### De quibusdam aliis Causis Criminalibus controversis, an privent Immunitate.

### SUMMARIUM.

**A**n immunitate priventur Raptores Virginum. 235.  
An Sodomita. 236.  
An furantes in Ecclesia. 237.

235. **Q**uod præter relata & declarata crimina nullum aliud privet immunitate, constat ex verbis Bullæ, præsertim dum utitur particulâ exclusivâ *Duntaxat.* Quare, nisi Constitutio tacite à Prælati Ecclesiæ approbata aliud in uno vel altero delicto habeat, non licet extendere ad alia crimina quantumvis enormia, ut satis constat ex dictis. Quia tamen vani DD. sibi potestatem fumsperunt varè extendendi, casus illi, & delicta in specie referenda sunt.

Primò, dubitarent aliqui de Virginum Raptoribus; propter Novell. 17. ubi negatur talibus immunitas. *ꝛ.* Illam Novellam quoad hoc habendam pro correctâ à Jure Canonico, & quia nimium probat, pariter enim negat Homicidii & adulterii. Quin Virginum raptoribus asylum conceditur in can. 3. ca. 36. q. 1. [De Raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam Raptor cum rapta confugerit &c. Raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa &c.] Quod autem Suarez dicit, Raptorem esse publicum latronem, pater falsum esse ex illis, quæ ad publicum latronem requiri supra diximus.

236. Secundò, dubitarent aliqui de Sodomita. Sed non privari patet, quia nullibi excipitur: nec licet argumentari in presenti matutina à minus gravi ad magis grave, quia obstat in Constitut. particula exclusiva. Sicut in similibus docent Jurista, quòd non valeat exheredatio nisi in casibus in Jure recensitis, etiamsi alia in se gravior subesset.

Advertunt tamen DD. cum Fatimacio, quòd ob atrocitatem delicti in hoc & similibus faciliè obtineatur à Pontifice potestas extrahendi.

237. Tertio, dubitatum est, de furante in Ecclesia, quem privari docuerunt aliqui. Sed communis est negativa, ut jam supra dictum est, quia solum homicidium & mutilatio in Ecclesia excipiuntur, non item alia facilegia. Unde, quando v.g. Minister Ecclesie furem in Ecclesia deprehendit, & de hoc monet Magistratum facultatem, constituntur apparitores, vel satellites, qui ad confinia Ecclesie prætolantur furis egressum. Prælati verò possunt dare facultatem, ut rebus furo ablatis spoliatur intra Ecclesiam. Quòd verò talis fur gaudet immunitate, declaravit S. Congregatio (apud Barbosam & Dianam) 18. Martii 1632.

Ex his, quæ exempli causâ retulimus, apparet, quid respondendum sit ad aliorum delictorum reos, de quibus aliqui DD. dixerunt, eos privari immunitate, falso semper principio supposito, quòd liceat argumentari à paritate gravitatis, vel ex aliis ratiocinationibus procedentes, quibus omnibus non attentis, firmiter insistendum est Constitutioni Gregorianæ, nec neganda immunitas illis, qui ibi non excipiuntur. Hujusmodi sunt Simoniaci, Perjuri, falsi testes, incendiarii, Banniti, videntes falsam monetam, extrahentes ex Ecclesia reos qui gaudent immunitate, occidentes Clericum, infringentes portas Ecclesie, & similes, de quibus, aliis relatis, videri potest Del Bene, semper repetens rationem eandem, sæpius inculcatam.



### §. VIII.

#### De Effectibus Immunitatis.

##### SVMMARIVM.

**AN** capi possit exiens ex Ecclesia ex necessitate corporis. 238.

**AN** capi possit extractus violenter ab alio. 239.

**AN**, qui blanditiis absque promissione impunitatis. 240. *¶* seqq.

**AN** possit Prælati Ecclesie reum in vitium consignare Judici seculari. 243.

**AN** Reus possit à Judice seculari in Ecclesia arctis custodiri, donec ab ordinario examinetur causa, an Reus gaudet immunitate. 244. *¶* seqq.

**A** quo alendus sit Reus existens in absolo. 247.

**AD** qualem penam possit condemnari existens in Ecclesia. 248. *¶* seq.

**Quibus** modis possit restitui Judici violenti injuste extrahere. 250.

**AN** injuste extractus possit ab extrahente retineri saltem ob alia delicta. 251.

**AN** in tali casu sufficeret extractum restitui alteri Ecclesie vel Episcopo. 252.

**AN** Judici seculari esset restituendus reus per alium violenter ereptus à carcere vel manibus apparitorum, fugiens ad Ecclesiam. 255.

**AN** alia Judici injuste extrahentis, quæ extractio nem sequuntur, sint ipso jure nulla, vel sit opus appellatione. 254.

**AN** extrahens peccet non solum contra Religionem, sed etiam contra Justitiam. 255.

238. **Q**uæritur I. Si reus egrediatur ex Ecclesia necessitate corporis exonerandi adactus, an capi possit extra Ecclesiam. *¶* Negativè, quia mortaliter non censetur locum immunem deseruisse, utpote necessitatem passus, & hac cessante statim revertitur.

239. **Q**uæritur II. An capi possit à Judice, si alius reum extraxisset violenter. Affirmat Suarez. c. 13. n. 17. in fine, sed cum distinctione. Si Judex misit alterum, qui tanquam privatus amicus falsus illum deciperet, vel inimicus vim inferret, Judex non possit illum capere, quia actio principaliter est Judicis, & ideo ipse tenetur reum Ecclesie restituere. Si verò ipse nihil cogitando de priori injuria reum invenit extra Ecclesiam, potest sine dubio eum capere, & contra illum procedere, quia extra locum factum illum invenit, & ibi incipit exercere Jurisdictionem

nam suam, & ideo non violat immunitatem, neque ipse tenetur hominem restituere Ecclesie: alter verò qui extraxit, tenetur restituere: quod si jam non potest, est per accidens. Ità Suarez non improbabilitè, sed non sine dubio, ut ipse loquitur. Nam probabilis negatur universum, quòd possit capi sic ab alio extractus, ut docent Valentia, Bonacina, Palao, Del Bene. Ratio est, quia Jura concedunt reo hoc privilegium, ut eo invitatus privari non possit ab ullo. Hoc autem fieret, si ab alio violenter extractum Judex capere posset. Neque erat necesse, ut exprimeretur in specie, si etiam ab alio extrahatur. Nam hoc non facile contingit, ut ab alio, quàm à Judice vel Ministris extrahatur: satis erat, quòd hoc ipso, quòd Ecclesia velit eum tueri contra Judicem, qui, secluso privilegio, haberet Jus extrahendi, velit multò magis reum tueri contra quemcunque alium, ne ipsi violentià possit privari immunitate legitime acquisita.

240. **Q**uæritur III. An capi possit, qui blanditiis, seclusa tamen promissione Judicis de impunitate, adductus est, ut egredereetur. Negant aliqui, quos refert & sequitur Diana p. 1. tr. 1. resol. 26. Sed hi AA. videntur solum loqui de dolo injusto, qui violentiæ & metui cõparatur. Probabilior tamen est aliorum sententia, quòd eductus blanditiis, & verbis etiam dolosis, v.g. mendaciis, quòd nemo sit fortis, & facile possit effugere &c. possit egressus capi à Judice, nisi Judex illius doli auctor fuisset.

**Probat**ur. Quia Jura semper expressè loquuntur de violentia. Non est violenter extrahendus. Reluctantem, reclamantemque violenter abstraherent. Per vim abstraxerit. &c. can. definiuit. ca. 17. q. 4. ibi. Nullus audeat fugientes ad Ecclesiam vel residentes inde vi abstrahere, vel quodcumque nocibilitatis, vel damni &c. inferre. Et ità sunt etiam in proprio sensu intelligenda verba Constit. Gregor. Ne confugas in Ecclesia existentes Judex ejusque Ministri capere, extrahere, vel incarceratione possint. Extractio enim est violenta.

241. **C**onfirmatur. Quia Ecclesia non vult quidem ejicere vel dimittere invitum, sed tamen etiam non vult retinere invitum: atqui blandis vel dolosis verbis deceptus ut exeat, absolute loquendo non est invitatus, sed simpliciter volens, unde & matrimonium dolo obtentum non est nullum, sicut est nullum, quod vi aut metu cadente in vitium constantem extorquetur. Discriminis, rationem declaravi in tract. 8. n. 111. de Contractibus Metu & dolo initis, quia contra metum non potest quis ita se defendere, sicut potest cautè agendo dolum declinare. Unde etiam si quis exiret ex Ecclesia, metu quodam non ab alio inculto, sed ex propria apprehensione concepto inductus, adeoque à seipso de-

ceptus, amitteret privilegium, ut expressè habetur in can. 36. ca. 17. q. 4. ibi. *¶* Nisi reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesia Clericis non quaratur. Facit huc etiam quod legitur in cap. 6. de his que vi metisque ca. sunt. ibi. [Nec obstant dolo, pro quo se proponebant fuisse seductos: cum talis dolo non tam ad circumventionem prædictorum Cisterciensium: quàm ad firmitatem eorum debeat retorqueri.] Nempe quòd non circumspiciendus egerint.

242. **D**ixi in Conclusione. Nisi Judex doli auctor fuisset. Nam tunc ex Justitia tenetur restituere in illum statum, à quo illum per injuriam dejecit. Quamvis credam, quòd Ecclesia in tali casu reum non repeteret, utpote qui non invitatus (ut dictum est) Ecclesiam deseruit. Aliud dicendum, si Judex impunitatem promississet: tunc enim, quia Ecclesia cum hac obligatione, & sub hac conditione dimisit; haberet jus eum repetendi, si Judex nollet stare promissis, quia privilegii cessio ex defectu conditionis esset nulla.

243. **Q**uæritur IV. An possit Prælati Ecclesie invitum reum consignare Judici seculari. *¶* 1. In Criminibus exceptis, utique hoc potest. Quia tunc Reus nullà gaudet immunitate. Quomodo autem id fieri debeat, infra dicitur. *¶* 2. In criminibus non exceptis jure antiquo & communi poterat id fieri observatis illis quæ habentur in can. 36. ca. 17. q. 4. ibi. Reos abstrahere non liceat, sed neque alteri consignare, nisi ad Evangelia datis sacramenti de morte, debilitate, & omni poenarum genere sine securi. *¶* 3. Probabilius nec sic licere jure novo Constit. Greg. Ità cum Farinac. Del Bene & Palao. Ratio est, quia in illa Constit. solum in criminibus exceptis conceditur facultas consignandi: ergo negatur in criminibus non exceptis, dum dicitur, aliter actum esse irritum & inane.

244. **Q**uæritur V. An saltem possit reus in Ecclesia vinculis alligari, vel alià vià arctius custodiri à Judice seculari, donec ab Ordinario examinatur causa, an Reus gaudet immunitate & hoc in eum finem, ne fortè elabatur. Affirmat Clarus §. fin. q. 30. Farinacius de Carcerib. q. 28. n. 10. Negandum tamen omnino est, quia hoc repugnat Juribus, nam in cit. can. 35. expressè dicitur: ne ipsi aliqua vis aut nocibilitas damnumve inferatur, quin possint per 30. passus ab Ecclesia exire.

245. **O**bjiciunt. Dum causa examinatur, dubium est, ad cujus Jurisdictionem spectet Reus: Ergo nisi custodiatur reus, periculum imminet Judici seculari, ne per fugam ipsi subtrahatur reus: Ergo habet jus servandi suam Jurisdictionem indemnem, per injectionem vinculorum. *¶* 2. Negando ultimam consequentiam: quia resistit illi aliud Jus, nempe quòd nemo possit exer-

cere Jurisdictionem contentioſam in alieno territorio, quale eſt locus Sacenſpectu Juriſdictionis ſecularis. Aliter ergo ſibi conſulere poteſt, apponendo cuſtodiam extra locum ſacrum, quod ei licet. Neque per hoc obſidet Eccleſiam, ſed ſuo territorio inuigilat: neque intendit manſionem rei intra Eccleſiam (cum mallet eum egredi) ſed caſu quo egrederetur, vult exercere Jurisdictionem in ſuo territorio.

246. Urgeri poſſet ex quibusdam verbis Conſtit. Greg. [Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam, ut præferatur, ab Eccleſiis locisque extracti, & capti fuerint, ad Carceres Curia Eccleſiaſtica reponi, & inibi ſub tuto & firmo carcere, ac opportuna cuſtodiâ dâta illis, ſi opus fuerit, per curiam ſecularem detineri, neque inde extrahi &c.] v. Eſſe ibi ſermonem de extractione ob crimen exceptum; quo caſu Reus eſt cuſtodendus in Carcere Eccleſiaſtico, dum cauſa examinatur: hoc inquam caſu, ſi Carcer Eccleſiaſticus non eſſet ſatis tutus & firmus, poſſet apponi cuſtodia per Iudicem ſecularem. Et ita declaravit S. Congregatio die 30. ſept. 1616. nempe, quod delinquentes; qui ab Eccleſiis, aliisque locis immunibus extrahuntur, debeant, dum articulus, an immunitate Eccleſiaſtica gaudeant, diſcutitur, per Eccleſiaſticos miniſtros, ſub cuſtodia juxta Conſtit. Greg. retineri.

247. Queritur VI. A quo alendus ſit reus dum exiſtit in aſylo. R. Si habet bona propria, ex illis alendus eſt, nec poteſt Iudex ſecularis prohibere, quominus ea que ſunt ad vitam neceſſaria, ad eum deferantur. Ut habetur. l. 6. C. de his qui ad Eccleſ. ubi cavetur, ne illi aliquid vel victualium rerum, vel veſtiu denegentur aut requirant. Alioquin poſſet per indirectum cogi ad extendendum, vel fame moriendum. Quod ſi nec habet in bonis, nec amicos, qui ipſi ſubſiſtent, Eccleſia, qua ejus tutelam ſuſcepit, ſupplere debet, cum onere reſuſionis faciendæ, niſi gratis dare velit, vel nulla ſpes ſi reſuſionis faciendæ. Poteſt tamen cogi ad ſerviendum & laborandum in commodum Eccleſiæ, in compenſationem expenſarum.

248. Queritur VII. An poſſit, & ad qualem pœnam condemnari exiſtens intra Eccleſiam dum ibi eſt. Dico, dum ibi eſt. Nam ſi egrederetur, & juſte caperetur, poſſet iudicari & condemnari perinde ac ſi nunquam ad Eccleſiam conſuſiſſet, ut habet vera ſententia contra quosdam apud Del Bene dub. 31. n. 13. volentes, quod poſtquam ſemel fugit ad Eccleſiam, acquiſiſſet talem immunitatem, ut etiam poſtea egrederetur, nunquam amplius poſſet ullâ aliâ pœnâ, quam pecuniariâ puniri. Quæ ſententia nullo fundamento nititur, nec in praxi obſervatur. Nunc ad Quæſitum. R. Inſpecto Jure comuni

non poteſt ferri ſententia capitalis, vel damnari reus ad pœnam aliquam corporalem, ſed ſolum ad pœnam pecuniariam, adeo ut poſt latam ſententiam, quâ in bonis temporalibus ſeu fortunæ (ut vocant Theologi) hoc eſt, que dicuntur eſſe in patrimonio, condemnatus eſt, poſſit ſecurè egredi, nec poteſt ampliùs de parato crimine iudicari, aut aliter condemnari, vel ab aliquo accuſari. Itâ ſunt intelligenda ſecundum Interpretes, illa verba cap. inter alia. Non eſt ab Eccleſia violenter abſtrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam. Subintellige: corporalem, vel illi æquivalentem, ut eſſet pœna exilii, perpetui carceris, ad trimes, ad ſervitutem, quidquid dixerit Gambacurta. Quod autem poſſit pœnâ pecuniariâ puniri, colligitur ex verbis capituli ſequentibus. Super hoc tamen, quod iniquè fecit, aliâ legitime puniendus. Unde aliqui DD. non male inferunt, quod ſi reus nihil bonorum haberet, in quo puniretur, eſſet aliquâ pœnâ corporali, ſed non adeo gravi puniendus, qua ſubſtitueretur loco pecuniariæ: juxta vulgaria. Qui non habet in are, licet in corpore.

249. Cæterum, ut teſtatur Clarus & Farinacius, quos ſequitur Del Bene, & Palaus n. 11. conſuetudine receptum eſt, quod cum Reus ad Eccleſiam conſugit in caſibus non exceptis, Iudex ſecularis eum inquirat, & citari faciat, & ſi non compareret, tanquam in abſentem, condignè juxta delicti qualitatem pœnâ, etiam capitali, proferat ſententiam: quam tamen executioni non mandat, nec mandare poteſt dum exiſtit reus in aſylo; ſi tamen inde ſponte egrederetur, & extra apprehenderetur, ſententia lata mandaretur executioni, alioquin illa ſententia eſſet de vento. Narrat Farinacius in Append. de Immuni. n. 306. quod dum quidam, qui ad Eccleſiam conſugerat, ab Epifcopo extractus, ad effectum cognoscendi, an deberet gaudere immunitate Eccleſiæ, Judex que laicus civitatis illius non probaret carceres Epifcopi tanquam malè tutos, fuit iſte extractus civitatis Gubernatori conſignatus, qui dum nomine Epifcopi ipſum in propugnaculo retinere, donec articulus diſputaretur, an immunitati locus eſſet nec ne, inde poſt aliquas dies auſugit, & iterum à Curia ſeculari captus ultimo ſupplicio affectus eſt. Julius Clarus ſ. ſin. q. 30. n. 23. ſic ſcribit. Si vè licitè ab Eccleſia extractus fuerit, ſive ipſe ſponte exiſerit, & deinde captus fuerit, ſemper vidi eum puniri perinde ac ſi nunquam ad Eccleſiam conſuſiſſet.

Scio tamen Proſpero Fagnano valde improbari conſuetudinem Iudicum, qui ferunt ſententiam capitalem vel corporis afflictivam in reos in eccleſia adhuc morantes: atque Judices hoc facere in perniciem animarum ſuarum. Quid autem hac ſua cenſurâ hæcenus effecerit in illis partibus, præſertim in Regno Gallia, mihi non conſtat.

250. Queritur VII. An, & quibus modis poſſit reſtitui tum ab Eccleſia, tum ab ipſo reo Iudici volenti inſiſte extrahere. R. Modus Ordinarius quo ſolet Eccleſia reſtitere, eſt per Cenſuras Eccleſiaſticas: quod ſi hic modus non eſt ſufficiens, aut hic & nunc idoneus, poteſt reſtitere claudendo portas, & aliis modis competentibus, & convenientibus ſtatu Eccleſiaſtico, qualis non eſt uſus armorum: niſi neceſſe eſſet implorare brachium ſeculare. Ipſe vè reus poteſt reſtitere (ſi ſecularis ſit) omnibus modis non excedentibus moderamen inculpatæ tutelæ, adeoque, ſi neceſſe ſit, etiam armis vim vi repellere, & Jus ſuz ſecuritatis tueri poteſt.

251. Queritur VIII. An injuſtè extractus poſſit ab extrahente retineri ſalè ob alia delicta. R. Negativè, ne quidem, etiam ſi velit præſtare juramentum, & etiam cautionem de non puniendo corporaliter. Ratio eſt, quia Eccleſia eſt ſpoliata, ergo eſt ante omnia reſtituenda. Unde conſequeus eſt, quod licet reus poſſet cedere jure ſuo, non tamen Jure Eccleſiæ, que etiam ſpoliata eſt. Imò procederet, etiam ſi reus ſponte ſateretur, ſe commiſiſſe crimen exceptum, ſemper enim verum eſt, Eccleſiam eſſe injuſtè ſpoliatam, cui non poteſt conſeſſio rei obſeſſe, nam licet contra delinquentem ſit ſufficiens probatio, non tamen contra tertium, ut conſtat ex alibi dictis. Ratio ulterior eſt, quia talis conſeſſio non eſt Judicialis, quia Iudex ſecularis non eſt competens Iudex in hoc articulo, an delictum ſit exceptum, nec ne.

252. Dubitatur tamen eſt, an Reſtitutio debeat fieri eidem loco, unde injuſtè extractus eſt, an ſufficiat reſtitui alteri Eccleſiæ vel Epifcopo. R. Si alia Eccleſia velit eum recipere, & reus conſentiat, poterit alteri reſtitutio fieri, quia injuria uni Eccleſiæ facta eſt communis omnibus. Si tamen reus non conſentiret, eo quod non videatur locus quæritus ac ille, ex quo eſt extractus, debet reſtitui eidem loco, quia ad hoc habet jus.

253. Hac occasione movetur ſubtile dubium, an pari modo eſſet Iudici ſeculari reſtituendus reus, ſi per alium violenter eriperetur è carcere, vel è manibus apparitorum à quibus jam captus detinetur, ſi talis ereptus fugeret ad Eccleſiam. Ratio aſſiduaſſima fuit Novario: quia etiam hic habet locum regula, quod ſpoliatus ſit ante omnia reſtituendus: atqui Magiſtratus ſecularis eſt injuſtè ſpoliatus, ut ponimus. Ergo debet illi reus reſtitui, nec gaudebit privilegio immunitatis.

Contrarium tamen omnino dicendum eſt, & teſtatur Guierrez ita fuiſſe iudicatum in Hispania. Ratio eſt, quia hæc exceptio non legitur in Jure Canonico, ubi caſus enumerantur, in quibus reus caret privilegio. Unde ſuprà dictum, quod ipſe reus ſi jam captus traheret ſecum

licetorem ad Eccleſiam, gauderet privilegio: & ſi ipſe carcerem perfringeret, & fugeret ad Eccleſiam. Privilegium enim eſt ampliè interpretandum.

Ad fundamentum Novarii varias reſponſiones excogitantur aliqui, negando paritatem, ſed diſparitas quam aſſignant, videtur nimium probare. Del Bene n. 35. ait, diſparitatem eſſe, quia in caſu Eccleſiæ ipſe Iudex ſecularis eam ſpoliavit, extrahendo ab ipſa, vel retinendo extractum ab ipſa reum violenter: at vè in altero caſu non ſpoliavit Eccleſia Curiam ſecularem. Sed, ut dixi hæc diſparitas nimium probat, nempe quod etiam Curia ſecularis non deberet reſtituere eum, qui abſque jure juſti ab alio extractus eſt: ſed poſſet eum retinere, ſicut Eccleſia poteſt retinere eum, qui Iudici per alium ereptus eſt. Itaque non eſt alia diſparitas querenda, quam que deſumitur ex privilegio ab Eccleſia conſeſſo fugientibus ad ſe, quorum miſeretur. Qui vè ex Eccleſia extrahitur, non fugit ad Curiam ſecularem intuitu alicujus privilegii; ſed in vitas ab illa rapitur, nec Curia habet tale privilegium ad verſus Eccleſiam, imò hoc illi prohibetur, dum dicitur in Conſtit. Greg. quod illi non liceat extrahere, capere, vel incarceratione, que verba ne ſint ſuperflua, debent prohibere non ſolum extractionem, ſed etiam captum alius rei qui ab alio extrahitur, ut conſideranti manifeſtum eſt.

254. Queritur IX. An acta Juriſdictionis injuſtè extractis, qua extractionem ſubſequuntur, v.g. examinatio, teſtimio receptio &c. ſint ipſo Jure nulla, vel opus ſit appellatione. Aliqui, tacito nomine relati à Suarez, putant acta valere, & per conſequeus opus eſſe appellatione. Contrarium expreſſe ſtatuitur in Conſtit. Greg. ibi. [Nec non irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoscuque quavis auctoritate ſciantur vel ignorantur contigerit attentari.] Ratio eſt, quia Jure per extractionem nullum Jus in reum acquiſiſit, ſed potius Jus rei violavit, & obligationem contraxit eum reſtituendi. Et licet ratione delicti reus forum ſortitus ſit, illud tamen per fugam ad Eccleſiam eſt ſuſpenſum uſque in eventum, quo Iudex reum legitime detinuerit.

255. Obiter hic ad verro, difficilem videri poſſe doctrinam quam tradit S. Th. 2. 2. q. 99. a. 2. ad 3. ubi videtur dicere, quod Iudex injuſtè extrahens reum ab Eccleſia, ſolum committit peccatum contra Religionem, & non contra Juſtitiam. Verum ad hoc commodè reſpondet Del Bene, primariò committit peccatum ſacrilegii, conſequeus tamen etiam peccatum injuſtitie contra reum: addo ego, imò etiam contra Eccleſiam, quatenus eam

eam ſpoliat. Unde ſi ex tali extractione damnum aliquod, ſive teo, ſive Eccleſiæ illatum aut conſecutum eſſet, teneretur Judex illud ex juſtitia, & ex ſecunda radice reſtitutionis, (quæ eſt injuſta leſio.) reſarcire, ut tradunt Suarez, Borna: Laym. alii. qui tamen fatentur probabilem eſſe ſententiam contrariam, & ſic excuſari poſſe illos Judices, qui obdãma ſecura nullam faciunt reſtitutionem.

§. IX.

De Penis extrahentium in juſſe.

SYMMARIUM.

**A**N, ut extrahens incurrit Excommunicationem, opus ſit ſententiã Judicis. 256.  
Extrahens incurrit Jure Canonico etiam poenam pecuniariam. 257.  
Jure Civili incurrit poenam capitalem. 258.  
Incurrit hæc poena mandans & exequens per ſolam attentionem propinquam. 259.  
Item Judex mandans occidi in Eccleſia. 260.  
Item extrahens in caſibus quidem exceptis, ſed non obſervatis obſervandi. 261.  
An à dicta Excommunicatione poſſit abſolvere Ordinarius. 262. & ſeq.

256. **D**ictum I. Jure Canonico inſtigatur poena excommunicationis, per textus mox citandos. Sed dubium eſt, an illa incurritur ipſo facto, vel opus ſit ſententiã Judicis. Ratio dubitandi eſt, quia antiquo Jure requirebatur Judicis ſententiã. *can. 6. ca. 17. q. 4. ibi.* [Qui autem conſinia earum conſringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit, quousque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur.] Et *can. 35. ibi.* [Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, & Eccleſiaſtica excommunicationi ſubjaceat, & ſeveritas regia ſeriat ſententiã.] Atqui Conſtitutio Gregor. nõ aliter videtur hanc poenam ſtatueret, quam ſecundum antiquos canones, dum ait: eum ipſo facto cõſuras & poenas eadem incurrit, quæ contra libertatis, juris & immunitatis Eccleſiaſticae violatores per ſacros Canones, Conciliorumque generalium, & noſtrorum prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ. Probabilis tamen eſt, ipſo facto incurri, non expectatã ſententiã condemnatoriã: quia alioquin ineptè & perperam ac fruſtra poſita eſſent

illaverba: *Ipo facto.* Accedit, quod Clementis VIII. & Paulus V. & S. Congregatio itã declaraverint, apud Farin. n. 313. & ſeqq. & Bonac.

257. **D**icendum II. Eodem Jure Canonico incurrit poenam pecuniariam *cap. 20. ca. 17. q. 4. ibi.* *pro immunitate non genos ſoldos Episcopo componat.* Et quamvis hæc poena ante Conſtitut. Greg. fuiſſet antiquata, per hanc tamen eſt renovata. Quamvis verum ſit, eam poſſe Judicem moderari, conſideratã delicti & delinquentis conditione.

258. **D**icendum III. Jure Civili incurrit poenam capitalem. *l. 6. C. De hi qui ad Eccleſ. ibi.* [His qui hoc moliri, aut facere, aut nudã ſaltem cogitatione atque tractatu ( *ut eſt legendum, & nõn* contractu, ut legitur recentiora exemplaria) auſi fuerint tentare, capitali, & ultimi ſupplicii animadverſione plectendis.] Et lege 2. ead. ſtatuitur, quod hoc ſit puniendum, ut crimen læsæ Majeſtatis. Verum, hæc poena ideo non eſt in uſu, quia hoc ſacrilegium non Jure Civili, ſed Canonico judicandum & puniendum eſt. Jus Canonicum autem non punit poenã capitali.

259. **D**icendum IV. Hæc poenas incurrit, tum mandans tum exequens, etiam ſolã attentione propinquã, etiam effectu non ſecuto. *v. g. ſi datum eſt mandatum, & acceptatum, ſi manus portis admota, cum conatu aperiendi.* Ratio. Quia in Bulla Greg. dicitur, hæc poenas incurrit, qui contra ejus tenorem attentare præſumpſerint. Quod totum verificatur in caſibus politiis. Neque novum eſt in Jure, puniri quandoque ſolùm conatum, ut videre eſt apud Menochium *de Arbitr. caſu 350. n. 68.* Et patet ex dicendis tractatu ſequenti. Solus tamen tractatus præcedens, non interveniente mandato, non ſufficeret, quia eſſet attentatio valde remota.

260. **D**icendum V. Si Judex, omiſã extractione, citaret ſeum in Eccleſia occidi, eadem poenas incurret: & itã in facti contingenti obſervatum eſſe reſtat Paulus Syvillante apud Del Bene. Probatur. Reus ideo prohibetur ſub his poenis extrahi, quia gaudet immunitate: atqui non gauderet immunitate & ſecuritate, ſi impune ibi occidi poſſet: ergo Eccleſia volens per poenã arceret captivam & extractionem, multo magis voluit arceret occiſionem, ergo licet expreſſis verbis hoc non dicatur, mens tamen Eccleſiæ eſt, adeoque in legem Eccleſiæ peccaret talis judex, quia contra mentem legis ageret. Unde merito reprehenditur Henriquez, qui in ſumma *lib. 4. c. 17. n. 4. in fine* dixit, non violatorum Eccleſiam Judicem, qui extra Eccleſiam exiſtens, Reipublicæ perturbatorem in Eccleſia exiſtens, quem capere non poteſt, emiſſo jactulo occideret. Itaque lex canonica puniens extrahentes,

trahentes, meritò extenditur ad occidentes in eccleſia, tum per regulam generalem, quod extenſio liceat, quando alioquin lex redderetur eluſoria. v. g. lex prohibens teſtamentum facere Viurarium, extenditur ad Codicillos, & omnem ultimam voluntatem; tum quia eſt lata in favorem animarum & Eccleſiæ: ob quam cauſam excommunicatione lata in *cap. conqueſti. de ſent. excom.* contra inſurgentes & ſpoliantes eccleſiam, extenditur ad comburentes.

261. **D**icendum VI. Easdem poenas incurrit Judex extrahens in caſibus quidem exceptis, ſed non obſervatis obſervandis ex Bulla, nempe ſine expreſſa licentia Episcopi vel ejus Officialis, & cum intervenitu Perſonæ Eccleſiaſticae ab eo auctoritatem habentis &c. item ſi extractio fiat cum ſcandalo & tumultu devitabili, ut patet ex verbis Bullæ. Item ſi extractum collocet in carceribus Curia ſecularis abſque licentia Episcopi. Ratio omnium eſt, quia agitur contra aut præter conſtituta in Bulla.

§. X.

De poteſtate abſolvendi ab Excommunicatione dicta.

262. **S**ummo Pontifici eſſe hanc excommunicationem reſervatam, ſpecificis argumentis probat Farinacius in *append. c. 20. n. 315.* quem ſequuntur Filliucius, Diana, Barboſa, & plures alii, & meo Judio probabilis, ut dicam.

Probabilis tamen eſt Opinio, poſſe ab ea abſolvere Ordinarium, & quemvis alium Sacerdotem ab eo ad hoc deputatum. Itã pluribus reſtat Del Bene *duo. 38. ſeſ. 1. & Palau pun. 12. n. 7.* Probatur reſpondendo ad auctoritates quibus Adverſarii putant eſſe reſervatam.

263. **O**bjiciunt I. Extravagantem Pauli II. de poenit. & remiſ. c. 3. ubi inter caſus ſedi Apoſtolice reſervatos ponitur læſio Libertatis Eccleſiaſticae. *v.* Subtermino Libertatis ſtriãdè ſolùm venire libertatem Perſonarum Eccleſiaſticarum, non locorum, quibus apartur terminus, *Immunitas*, quia loca non ſunt apta ſubjecta denominationis Libertatis. licet contra Perſonæ Eccleſiaſticae etiam denominentur *Immunes*. adeoque Libertas ſemper eſt Immunitas, ſed non e contra.

Objiciunt II. In Decreto Clementis VIII. (quod poſtea innovatum cum moderamine eſt à Paulo V.) prohibetur quibuscumque Conſeſſariis, ne abſolvant à Caſibus Bullæ Cõnæ, ſive Claris, ſive Dubiis, tam Juris quàm facti. item

ab iis quos ſibi ſpecialiter reſervat Episcopi. item à ſex aliis, inter quos ponitur violator immunitatis in terminis Conſtitutionis Greg. X. V. *v.* Illud Decretum ſpeſtat ſolùm Conſeſſarios, qui volebant virtute ſuorum privilegiorum poſſe ſe abſolvere à dictis caſibus. ac proinde non eſt extendendum ad Ordinarios, quod vel in de conſtat, quia Ordinarius, poteſt abſolvere ab Excommunicatione Canonis, quæ tamen etiam ibi excipitur, item à caſibus dubiis in Bulla Cõnæ.

264. **O**bjiciunt III. In Conſtitutione Gregor. inſtiguntur cenſura lata contra violatores immunitatis Eccleſiaſticae: atqui huſusmodi cenſura eſt lata in Bulla Cõnæ, quæ eſt reſervata. ergo &c. *v.* Conſeſſa Majore, & tranſmiſſa Minore, (nam ſolùm ibi excommunicantur Violatores libertatis) negatur conſequentia. Nam licet renoventur illæ poenæ, non tamen renoventur earum reſervatio, quia hujuſ nullã ſit mentio.

Et itã quidem reſpondent AA. citati, factis, niſi fallor, quaſitè: unde ſi apicibus Juris inhærendum eſt, videtur prævalere prior opinio, maxime ſi verum eſt, quod aſſerit Farinacius, Maranta, Diana, & alii, itã fuiſſe Romæ declaratum; & quia hanc ſententiam, reſte Del Bene, ſequitur ſtylus Pœnitentiariæ & Curia Romanæ; & itã etiam ſettur reſpondiſſe S. Congreg. Vicario Generali Capuæ. 16. Junii 1632.

§. XI.

De Poteſtate & obligatione tradendi reum Judici ſeculari.

SYMMARIUM.

**R**eus non eſt tradendus Judici ſeculari, donec Episcopo conſtet de crimine excepto. 266.  
Quid de conſuetudine. 267.  
Quid ſi Episcopus irrationabiliter repugnet. eod.  
An ad concludendum de crimine excepto requirantur probationes concludentes. 268.  
Si Episcopus erraverit, quid agendum errore detecto. 269.  
An Judex ſecularis poſſit à ſententiã Episcopi appellare. 270.  
An Judex in cognitione cauſa debeat citare Fiſcalem & Reum. 271.  
An teſtes in proceſſu informativo examinati ſint poſtea citati Fiſcali & reo reproducendi. 272.

An in hac cognitione requiratur exhibitio libelli.

204. Ad quem iudicem spectet cognitio, si captus dicat se captum in loco sacro, satellites autem negent.

273. Non licet confugientem repellere aut excludere.

274. Quis reus non servaret decorum. 275.

265. Ex supra dictis, quae hic repetenda non sunt, constat, quod in casibus non exceptis non liceat Praelato tradere reum invitum Judici seculari, etiamsi ille vellet Juramentum praestare impunitatis quoad poenas corporales.

Deinde constat, & per se clarum est, quod in casibus exceptis, & postquam constat, commissum esse delictum exceptum, possit reus etiam in virtus tradi Judici seculari. Et quamvis antiquo Jure debuisset promitti impunitas a poena corporali, inspecta tamen Const. Greg. & recepta consuetudine, potest tradi puniendus pro meritis delicti. Ratio est, quia non gaudet talis reus immunitate.

266. Ceterum, Praelato Ecclesiastico ubi Const. Greg. recepta est, bene observandum est, quod non solum non teneatur, sed nec possit tradere reum, antequam ipsi Episcopo constet, quod delictum sit exceptum, quod commissum est: & hujus puncti cognitio spectat ad ipsum Episcopum, quam cognitionem instruet, dum reus detinetur in Carcere Ecclesiastico. [Quodque delinquentes (inquit Constitutio) Laici praedicti, postquam ut praefertur, ab Ecclesiis, locisque sacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curiae Ecclesiasticae reponi, & ibi sub tuto & fimo carere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per curiam secularem, detineri, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab ejus deputato, an ipsi verè crimina superius expresse commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiae Seculari, quacunque appellatione postposita, consignentur.]

267. Dixi. Ibi Bulla Greg. recepta est. Nam ubi recepta non est, ajunt plures DD. consuetudinem esse, ut Secularis Judex, in casibus clare exceptis, non requiritur consensu Episcopi, extractat & loco sacro reum. ita docent Abbas, Covarr. Clarus, Suarez, Fagundez, Farinacius & alii plures. nec sine ratione. quia constat, hujusmodi reis fieri saepissime occasionem elabendi penitus, ut amplius comprehendendi non possint intra territorium in quo deliquerant. Accedit, quod Ecclesiae non est potestas defendendi reum, nisi in quantum is gaudet immunitate, vel quamdiu dubium est, an gaudeat: ergo si

constat morali evidentiâ, cum non gaudere, potest consuetudine induci, ut non sit necessaria sollemnitas forma cognitionis.

Sed, quidvis Episcopus aut ejus Officialis irrationabiliter repugnet, ne reus e loco sacro extrahatur, & in carcere Ecclesiastico custodiatur? Tunc Const. Greg. permittit Judici seculari, ut reum, minore, quo id fieri potest scandalo, & tumultu, pro reverentia Ecclesiae ab Ecclesia possit extrahere, & sic extractum ad Carceres Curiae Ecclesiasticae deferre: nisi consuetudo esset contraria.

### §. XII.

#### De modo cognoscendi, an delictum sit exceptum.

268. Queritur I. An ad concludendum, quod delictum sit exceptum, requirantur probationes concludentes, vel sufficiat, habere indicia & conjecturas, vel praesumptiones probabiles. Hoc posterius placuit Senatui Lusitano, Gratiano, & quibusdam aliis. Contrarium tamen, & quod requirantur probationes concludentes, & certae, summarie tamen expediendae, declaravit S. Congregatio, & tradunt communiter DD. Probatur I. Reus est in possessione immunitatis, sicut & Ecclesia: at qui à possessione non est quis desiciendus per incertas conjecturas, sed per probationes plenas: ergo &c. Probatur II. In Const. Greg. expresse requiritur, ut cognitum sit, an verè commissum sit crimen exceptum. Quae particula videtur innui, quod non sufficiat, si cognitum sit, quod probabiliter commissum sit: quisquis enim tantum probabiliter aliquid cognoscit, non rectè dicit, rem verè ita se habere. Accedit declaratio Congreg. Episcop. die 27. Julij 1618. quod ad delinquentem extrahendum à loco immuni, & consignandum Curiae seculari, non sufficiat sententia contumacialis, cum hac non probet delictum) sed requiratur plenus probatio.

Obijciunt. In Bulla Greg. committitur arbitrio & Judicio Episcopi, an reus commiserit crimen exceptum: ergo sufficit, si probabiliter arbitretur, esse commissum. Negando consequens. Nam requiritur Judicium tale, quo verè constet, ut jam dictum est.

269. Queritur II. Si Episcopus in ferenda sententia erravit: quid agendum errore detecto? Neg. Si pronuntiavit erroneè, esse commissum delictum exceptum, & reus fuit traditus seculari Curiae, est restituendus loco sacro. Si erravit pronuntiando delictum non esse exceptum,

### §. XIII.

#### An fugiens ad locum Sacrum possit à ministris, vel Religiosis illius loci repellere, & non admitti, vel aliquando receptus expelli.

prim, est reus tradendus Curiae seculari, si quidem adhuc destinetur ab Ecclesia.

270. Queritur III. Si Judex secularis arbitretur se gravari per sententiam, eò quod male judicatum sit, esse crimen non exceptum, an possit appellare. Affirmativè respondit Farinacius, Guazzinus, Bonacina, Del Bene, alij. Alij negant ex hoc fundamento, quia in Const. Greg. non permittitur reus appellare si judicatum est, crimen esse exceptum: ergo ut servetur Judicij aequalitas, nec Judex secularis seu Fiscus debet posse appellare si judicatum est, crimen esse non exceptum. Hos Auctores videtur Del Bene conciliare, admittendo paritatem hoc sensu, quod Constitutio Greg. rejiciendo appellationem, non procedat quando est satis sufficiens, & rationale fundamentum appellandi, & sic nec Reo, nec Fiscò tollat appellationem, quando infortie, vel satis fundatè de injustitia sententiae constat, quod etiam docet Scaccia de appellat. lib. 3. c. 2. q. 16. limit. 1. n. 84. Vide etiam quae dixi ro. praeced. ubi explicui, quid operentur verba: Appellatione remota.

271. Queritur IV. An Judex in cognitione hujus causae debeat citare Fiscalem Ecclesiae & Reum. Neg. Affirmativè. Et quidem Fiscalis ideo citandus est, quia ad ipsam spectat defendere Ecclesiam. Reus etiam ideo citandus est, quia directè agitur de praedictis illius. adeo, ut si sponte compareret, peteretque audiri, de jure audiendus esset.

272. Queritur V. An vestes in processu informativo examinari, postea sint, citato & audito Fiscali & reo, reproducendi seu repetendi. Negat Guazzinus: sed alij affirmant rectius: quia hujusmodi repetitio multum professe potest tum Ecclesiae tum Reo, si forte dictis aliquid addere velint.

Queritur VI. An in hac cognitione requiratur exhibitio libelli. Neg. Negative, sicut nec requiritur litis contestatio, quia nullus intervenit accusator, & non est opus processu ordinario, sed sufficit Summarius. Dilationes tamen concedere tenetur Judex, nam hoc est Juris naturae.

273. Queritur VII. Ad quem Judicem spectet cognitio, si captus à Satellitibus affirmet, se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent. Si res dubia est, spectat cognitio ad Judicem Ecclesiasticum, propter connexionem cum quaestione principali: Quamvis ad hanc cognitionem non sit necessaria evidentiâ, sed sufficiat probabilis conjectura, qualis esset, si omnes apparitores, vel alij homines testentur, captum esse in tali loco, de quo constat, non esse sacrum.

274. Dicendum I. Non licet confugientem repellere aut excludere, sed recipiendus est. Can. 9. ca. 17. q. 4. ibi. Sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant. quae quidem verba possunt accipi de consilio. Ratio ergo pro confessione est: quia hoc ipso quod concedatur immunitas, conceditur Jus eò confugiendi, & immunitatem obtinendi. Sicut non licet impedire eum, qui in extrema necessitate constitutus vult ex alieno accipere sibi necessarium, quia tunc bona sunt communia: ita & concessa immunitate locus est reo communis.

Dicendum II. Imò concedendus est illi alius locus ad ea peragenda, quae in Ecclesia decenter peragi non possunt: & ob hanc causam concessum est spatium extra Ecclesiam, ut jam supra dictum.

275. Dicendum III. Si reus non servaret decorum, & in Ecclesia vellet cibum sumere, &c. monendus est à Clericis, ut se conferat ad loca circumjacentia immunia, & si nollet parere, etiam vi adigi possit. J. 3. §. 2. C. de his qui ad Eccles. confug. [Proinde, qui sine armis ad Sanctissimum Dei templum, aut ad Sacrosanctum altare confugiunt, somnum intra templum, sive ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum injuria, ab ipsis Clericis arceantur, designantibus spatia, quae in Ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, ac docentibus, capitalem poenam esse propositam, si qui eos conentur invadere. quibus si perfuga non admittit neque consentit, praeferenda humanitati religio est, & à divinis ad loca quae diximus turbanda temeritas.] Et ita fertur declaratum à S. Congregatione. Et hac de Immunitate confugientium ad Ecclesiam.